

PAVLVS VINCORNVS MEDICVS ET THEOLOGVS.



Paulus post prima literarum fundamēta in patria percepta, in Italiam sese contulit, & lingua rum cognitioni diligentem operam nauauit. Postea quoque ad Iurisprudentiam animum adiecit. Cum autem illud studium perplexum & contētiosum intellexisset, id reliquit, & Medicinę incubuit. In ea facultate adeò profecit, ut Doctoralia insignia impetrarit. Inde in Germaniam rediit, & Heidelbergam uenit, ubi etiam Theologi nomen acquisiuit. Erat enim felici ingenio præditus, atq; in Hebraicis literis optimē uersatus, quorum beneficio sacras literas ex fontibus facile intelligere poterat. Tandem sese Vuormatiam recepit, & ibidem abscq; publico stipendio ex suo uiuens libris inuigilare solet. Vbi etiam ob p̄claras animi dotes magnum sibi nomen comparauit. id quod ibidem anno 1565, cum ille 50 circiter annorum esset, à ciuibus & fide dignis hominibus, qui ipsius laudes prædicarunt, facile intellexi. Anon.